



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

77. Vtrum Episcopus existens in alterius Diœcesi licitè possit celebrare
Missam in Pontificalibus seu cum baculo, & Mithra absque licentia ejus
Ordinarij? Idem est dicendum de locis exemptis intra ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

putant, quod si quis semel habuit pallium vnius Archiepiscopatus, si ab illo ad alium transferatur, iterumque redeat ad priorem, indigeat nouo pallio, & primum non sufficiat; & in hanc sententiam inclinat Acugna in *Decreto Gratiani part. 1. dist. 100. c. 10. n. 3.* & 4. vbi etiam *num. 5.* probabiliter asserit, quod si detur euentus, in quo aliquis Archiepiscopus statim perdat pallium à Pontifice acceptum, vel casu igne comburatur, poterit absque illo Pontificalia munera exercere; licet Veneris in *exam. Episc. lib. 4. cap. 10. num. 19.* videatur asserere, quod debeat petere aliud à Summo Pontifice.

RESOL. LXXVII.

Virum Episcopus existens in alterius Diocesi licite post se celebrare Missam in Pontificalibus, seu cum Baculo, & Mitra, absque licentia eius Ordinarii?

Idem dicendum est de locis exemptis intra propriam Diocesim.

Et explanatur, quae sint signa, & ornamenta Pontificalia. Ex p. 1. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 36.

Sup. his quae hic supponuntur, & eorum significationibus in tom. 4. tr. 8. Ref. 114. 119. 120. & 121. Et sup. prima opinio huius §. 2. in to. 2. tr. 1. Ref. 144. §. vltim. & ibi in tr. 1. Ref. 32. §. etiam vlt.

§. 1. **S**uppono Pontificalia insignia, & ornamenta esse Mithram, Baculum pastorem, Anulum, Sandalia, Tunicellam, Dalmaticam, Chirothecas, & Crucem peccatoralem; vt testatur Isidorus Mosconius *tract. de magnitudine militan. Eccles. part. 1. lib. 1. cap. 8.* quorum singulorum significationes exponit Durandus in *ration. diu. offic. lib. 3. c. 13. 121.*

2. Hoc supposito; Prima opinio est affirmatiua, quia nullus canon prohibet Episcopis hoc efficere. Ergo licitum erit. Nec obstat Concilium Trident. *cap. 5. sess. 6.* cuius verba sunt haec. Nulli Episcopo liceat cuiusvis priuilegij praetextu Pontificalia in alterius diocesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinatio subiectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi. Non, inquam, obstant verba; nam loquuntur de vsu Pontificalium cum aliquo exercitio, vt consecrare, chrismare, ordinare, degradare, & similia; vnde exponens hunc locum Concilij Tridentini, sic asserit Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 18. diff. 9. num. 5.* [Aduerte se que actus Pontificales son los que pertenecen al orden Episcopal, y su consecracion; como ordenar, hazer chrisma, &c.] Et ita etiam supradictus locus Concilij exponitur à quodam viro amicissimo, qui tamen nullum Auctorem adducit; sed ego inuenio Concilium sic exponere Tamburinum de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 15. num. 4.* Campanelli de *diuer. iur. can. rubr. 9. cap. 5. num. 1. & 3.* Quaranta in *summa Bullar. ver. Archiepiscopi auctoritas, sub num. 23.* & Coninch de *Sacram. disp. 16. dub. 5. num. 35.* Et hanc esse veram expositionem verborum Concilij patet ex eiusdem verbis ibi, *exercere*, quod verbum non videtur complecti vsum tantum Pontificalium, sed etiam exercitium super alios; idque magis manifestant subsequencia verba, tum illa, & in personas eidem Ordinatio subiectas; tum alia, & sic ordinati, &c. Hinc Campanil & alij obseruant, quod Nauarr. *const. 12. de Cler. excom. minist.* asseruit, quendam Episcopum, qui in aliena diocesi Pontificalibus insignibus vltus fuit, incurrisse pœnam suspensionis in praedicto decreto Concilij comminatum, non ob solum Mithram, & Pontificalium vsum, sed quoniam Calicem etiam consecrauit, & corporalia benedixit absque Diocelani licentia. Cum igitur Concil. Trident. in *dic. sess. 14.* prohibeat Episcopis exercere of-

ficia Pontificalia in alienis diocesis, sequitur quod in illis possit Episcopus celebrare in Pontificalibus cum Mithra, & Baculo, quia si celebrans non exercet in aliis officia Pontificalia, quae prohibuit Concilium, sed tantum conficit sacrificium Missae, cum ornamentis Pontificalibus.

3. Quod aperte probatur, nam in hac materia de qua loquimur, vt notant Cochier de *iurisd. in exemptis part. 2. q. 1. num. 6.* Tamburinus de *iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 14. n. 2.* & alij penes ipsum, locus exemptus, & locus extra diocesim iudicantur à pari; ex quo statuit Tamburinus *q. 15. n. 1.* quod Episcopi vigore prohibitionis Concilij *sess. 6. c. 5. & sess. 14. c. 2.* non possunt exercere Pontificalia in Ecclesiis exemptis suarum diocesis; & tamen ipse Taburnus *n. 3.* concedit Episcopos posse in dictis Ecclesiis exemptis vt Pontificalibus insignibus, & ornamentis, & diuina officia celebrare in Pontificalibus; quia asserit Tamburinus, supradicta facere sine aliquo exercitio, non est officia Pontificalia exercere, quae prohibentur in dictis locis Concilij. Ergo, &c.

4. Et ideo posse Episcopum in aliena diocesi celebrare in Pontificalibus, praeter Conarruian *lib. 3. var. res. c. 20. n. 9.* & Henrici *lib. 3. c. 6. n. 6.* docet etiam Hostiensis *penes glossam in Clem. Archiepiscopo, de poenis, ver. etiam celebrare.* Tabiena *ver. Patriarcha, num. 4.* Syluester *eodem ver. §. Tertium,* & Barbosa in *Collectaneis tom. 3. lib. 5. tit. 7. Clement. 2. n. 6.* sic asserit Episcopus in aliena diocesi potest Sacra Missam solemnem in Pontificalibus celebrare. Hoc etiam docet Layman in *Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 5. num. 5.*

5. His tamen non obstantibus, negatiuam sententiam tenendam esse puto, & ideo quoad Mithram docet Riechus *part. 4. decis. 27. n. 7.* Barbosa de *potest. Episcopi part. 3. alleg. 80. n. 14.* & Erasmus Cochier de *iurisd. part. 2. q. 1. n. 8.* quod Episcopus in locis exemptis illa vt non potest, nisi inuitatus, & facit mentionem de prohibitione Concilij Tridentini in locis citatis. Quoad Baculum verò, sic habetur in Ceremoniali Episcoporum *lib. 1. cap. 17.* Vtut Episcopus Baculo pastorali in sua tantum ciuitate, vel diocesi, & etiam alibi, vbi consecrationes, aut ordinationes, vel benedictiones personales facere ei Apostolica auctoritate conceditur. Et hanc sententiam aliqui ita mordicus tenent, vt asserant non posse Episcopum loci concedere vsum Baculi, alteri Episcopo in sua diocesi existenti; nisi in his, in quibus dicta verba Ceremonialis ex praescripto ordine necessario requirant Baculum. Vide Campanilli in *diu. iur. can. rubr. 9. c. 5. n. 3.* Et ratio quare Episcopi in aliena diocesi celebrare minime possint cum Baculo, & Mithra, est quia Baculus, & Mithra sunt signa iurisdictionis, vt infra dicitur. Et ita nostram sententiam in terminis, vt asserunt, terminantibus firmat, & docet Fuluius Pacianus de *prat. lib. 2. cap. 29. n. 56. & 64.* qui omnino videndus est.

6. Ad illud verò, quod pro contraria opinione adducebatur, nempe Episcopum posse celebrare Pontificaliter in locis exemptis; respondeo ex Gratiano *tom. 3. c. 467. n. 29.* quod est dispar ratio inter locum exemptum intra propriam diocesim, & inter diocesim aliam; & sic potest Episcopus, vt obseruat Fufcus de *visit. lib. 2. c. 8. n. 6.* vt Baculo in locis exemptis, quod facere minime potest in alienis diocesis. Et ratio est, quia in locis exemptis Episcopis conceditur propter reliquam praecedentis subiectionis. Cum per exemptionem, vt etiam notant Gonzales in *reg. 8. Canon. gloss. 43. num. 187.* & alij, talia loca non desinant esse in provincia, vel diocesi propria.

7. Ad loca verò Concilij Tridentini superius adducta, respondeo ex *l. de interpretatione off. de legibus, & cap. cum dilectus, de consuet.* cum aliis adductis per

Sup. loci
fra in 114
illud, in
Ref.

Sup. loci
pra in 3
Quod ap
te, huius
Ref.

per Ioannem Mariam Nauarrinum in *questionibus* *de officio* *part. 1. quæst. 85. num. 11.* quod consecretio est memem Concilij; unde Episcopi non celebrant pontificaliter in alienis diocesis sine Ordinarij licentia. Nec valet dicere, quod hoc faciant propter quandam reuerentiam & decentiam debitam Episcopo diocesano, & ideo ab illo licentiam petunt; quasi hoc efficerent Episcopi propter solam decentiam; quando Episcopi diocesani licentiam celebrandi pontificaliter illis præbere nollent, vt scriptus accidit, quod de facto ipsi celebrarent; sed hoc non audent facere; ergo non possunt. Neque propter decentiam, in tali calu credendum est Episcopos velle amittere iurisdictionem, si illam haberent.

Ad illud verò, quod Episcopus celebrans in Pontificalibus, non exercet officium Pontificale, sed facit sacrificium cum ornamentis Pontificalibus; alijs respondet, quod Baculus non solum est ornamentum, sed etiam signum superioritatis, & officij; nam equiparatur, vt notat Gratianus *tom. 3. cap. 467. n. 6. vexillo Crucis*, quo vitur Archiepiscopus. Et quod, vt diximus, sit signum superioritatis, & iurisdictionis, docent aperte Tamburinus *de iure Abbatis, tom. 1. disp. 21. quæst. 3. n. 8.* Venerus *de excom. Episcop. lib. 4. cap. 10. n. 22. & 23.* Pacianus *vbi supra*, & apparet in versibus, quos adducit glossa in *cap. unico, §. finalis, vers. propter historiam, de sacra ordi. & sic alterunt:*

In Baculi forma Præsul, datur hæc tibi forma.

Astrada per primum, medio rege, punge per imum.

Astrabe peccantes rege iustos, punge vagantes.

Astrabe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Et in cerimonia consecrationis Episcopi, consecrans tradendo Baculum consecrando, sic ait: *Accipe Baculum pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitis præsumptus, in tranquillitate severitatis censuram non deseras, &c.* Et in libello qui Ordo Romanus inscribitur, sic dicitur, *Accipe Baculum pastoralis officij potestatem ligandi atque solvendi, vt sis in corrigendis vitis perseverans, &c.* Unde, quia Baculi curvatio in Episcopis limitata, & coarctata potestatem significat, ideo illo non vitur Summus Pontifex, cum potestatem habeat vniuersalem; vt notat, & docet Gemonius *de sacra immunit. lib. 3. cap. 5. num. 108. & 110. & de Indulg. Cardin. §. Episcopus n. 25. & seq.* Cum doctoribus, quos citat Barbosa in *Collect. tom. 1. lib. 1. tit. 1. §. cap. unico, §. conigitur, num. 15.* Ex quibus apparet, Baculum non solum esse ornamentum, sed signum iurisdictionis, & superioritatis, vt etiam erat apud Prætores Romanorum, & apud Iudices Germanorum, teste Gratiano *d. decis. 29. num. 7.* & Gregorio Tholano *de republica lib. 6. cap. 20. num. 21.* Ergo nullo modo licitus erit vsus in aliena diocesi, sine licentia Ordinarij.

RESOL. LXXVIII.

An actualis degradatio debeat fieri à proprio Episcopo, vel possit alteri Episcopo committi?
Et an prædicta degradatio necessario fieri debeat ab Episcopo consecrato, & non sufficiat, quod Episcopus sit tantum electus & confirmatus? Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 30.

§. 1. **A**ctualis degradatio, quæ est solemnis executio prædictæ sententiæ degradationis, sit necessario ab Episcopo consecrato, quia est actus non solum iurisdictionis, sed ordinis, ex Ecclesiæ institutione consecrationi Episcopali annexus. Sicut tradit Glossa communiter recepta in *cap. Transmissam,*

verb. De talibus. Abbas, num. 4. de elect. Tolet. lib. 1. cap. 50. Suarez, disp. 30. sect. 1. num. 8. Sayrus lib. 5. cap. 22. num. 12. Bonacina, disp. 4. punct. unico, n. 11. Coninch. disp. 16. n. 9. Layman, lib. 1. Summ. tris. part. 3. cap. 5. num. 5. Difficultas est, an sit faciendâ à proprio Episcopo; Et Bonacina *de Censur. xbi supra* existimat, huius degradationis ministrum Episcopum proprium esse debere; neque posse alteri Episcopo consecrato vices suas committere: ductus illis verbis Concilij, & præsertim etiam ad actuale, & solemnem degradationem, &c. Verius censo, alieno Episcopo committi hoc munus posse: quia verba Concilij, *Per seipsum*, demotant, non posse per Vicarium non consecratum fieri: non tamen excludunt, quin per alium Episcopum consecratum fieri possit, vt bene notavit Suarez *d. sect. 1. n. 18.* Layman *d. cap. 5. numero 3. & Machadus, tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 12. document. 2. num. 2. & 3.* vbi sic ait: *La Degradacion actual, como consta del Concilio Tridentino, solamente la puede hazer el Obispo proprio por si; el qual no basta que este electo, y confirmado, sino que segun doctrina comun es necesario, que este consecrado; porque este es acto contrario al orden, y assi solo el que puede ordenar, podra degradar actualmente; y assi se colige del Derecho. Però dudan, si el Obispo proprio puede delegar à otro Obispo la facultad de degradar à su subdito. Bonacina siente, que en rigor de Derecho no puede delegarla, porque el Concilio Tridentino, que le dà la dicha facultad, dice, Per seipsum, con que excluye toda delegacion, si bien afirma, que en esto se deve observar la costumbre, que huviere ex cada parte. Mas otros Doctores descienden absolutamente, que la puede delegar, porque segun Derecho, Qui per alium idoneum facit, per seipsum facere videtur. Itaque hæc opinio est probabilior, & magis communis, quam etiam præter Doctores citatos, tenet Castus Palau *tom. 6. disp. 5. punct. 1. num. 9.**

RESOL. LXXIX.

An Episcopus præter casus in iure expressos propter aliud delictum enorme, & qualificatum, possit Clericum degradare, & tradere brachio seculari ad puniendum?
Et quodnam censetur delictum enorme?
Et docetur, homicidium qualificatum Prælati, vel Sacerdotis, fratris, patris; item assassinium, furtum, sacrilegium, degradationem omnium bonorum, & similia; & generaliter omnia delicta, ob qua pena mortis iure Civili statuta est, si pluries reperita fuerint, enormitates continere. Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 32.

§. 1. **P**RO negatiua sententia 30. Doctores adducit Chartarij in *Decisionib. Archiep. decis. 66. num. 48.* Et hæc sententia probatur ex *Capite, Cum non ab homine de Iudiciis*, ponderando verba illa (*quibuscumque criminibus*) ex quibus aperte colligitur Iudicem secularum in omni crimine, quantumcumque graui, & enormi punire non posse Clericos; eos tamen deponendos esse; & si fuerint incorrigibiles, tradendos Curie seculari, atque ita delicti grauitas non sufficit, nisi accedat etiam incorrigibilitas. Idem patet ex *cap. de Liguribus 23. q. 5. & ex cap. Tus, de penis, & ex Clement. 1. in pr. de penis.* Et hanc opinionem in crimine læsæ Maiestatis approbauit etiam Synodus Toletana 16. celebrata sexaginta, & vno Episcopis, anno Domini 693. sub Rege Flauio Egica, in ea enim Synodo Sigibertus Toletanæ Sedis Episcopus loco, & honore priuatus fuit, quoniam decreuerat Regem prædictum

Quoad hoc in tr. 5. ex doctrina Ref. 18. §. 1. in fine, vers. & remitte-

ANNE
HONIA
O. III. IV
ELITI

Sup. hoc
fra in 6
illud, h
Rec.

Sup. hoc
pra in 6
Quoad op
te, h
Rec.